



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XIV. De Vdalrico Sacerdote illuc directo euangelizandi gratia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*S. Otho cogitat  
clam petere Ve-  
raniam.*

periculi ab omnibus dissuasus est: quod ægerrimè ferens, ingeniosius agere cœpit, quomodo se, nescientibus eis, illo pro-riperet.

Hoc sentientes illi, cautius eum obseruabant, nullamque secreti opportunitatem, quò id aggredi posset, ei concede-  
bant: salutem illius, vitamque longiorem multis vtilem ac ne-  
cessariam memorantes. Verùm desiderij magnitudine nihil  
huiusmodi rationum audire potuit, illos modicæ potius fidei  
arguens, ac pusillanimitatem eorum increpitans, fidem Chri-  
stianam factis magis firmandam aiebat, quàm verbis, satisque  
inertes æternæ vitæ Prædicatores, qui pro illa vitam præsentem  
expendere formidarent. Et quid, inquit, fieret, si in his barba-  
ris nationibus euangelizantes pro Christi nomine omnes oc-  
cumberemus? Nimirum gloriosior esset prædicatio, quæ Mar-  
tyrum sanguine firmaretur. Sed, ô dolor, de tanto fratrum nu-  
mero, nec vnus, puto, dignus habebitur, morte sua devota,  
quam speramus, perhibere testimonium. Atqui verbis talibus  
verecundia nata est trepidantibus.

*De Udalrico sacerdote illuc directo euan-  
geli zandi gratia.*

CAPVT XIV.

*Sesfidus.*

*Edit. Canis.  
cap. 10.  
Udalricus of-  
feri suam ope-  
ram pro Vera-  
nia insula.*



Udalricus autem venerabilis sacerdos constantior  
effectus, sciens hoc etiam seni placere, huic se peri-  
culo intrepidus offerebat. Comitè tantum & viz  
ducem postulans. Accepta igitur benedictione  
paraturam sacerdotalem, calicem quoque & librum, & cetera,  
quæ faciendæ Missæ ratio postulat, assumens, nauem con-  
scendit. Sed nos videntes fratrem nostrum vnicè charum so-  
lum ad martyrij palmam properantem, cum dehortari eum  
non auderemus, viam eius lacrymis vberioribus profecuti su-  
mus; qui horis quasi tribus prosperis flatibus nauigans, ferè  
iam ab oculis nostris ablatus fuerat. Et ecce tempestas oritur,  
ventisque cõtrariis ratem huc, illucque pellentibus, viam tenere  
non potuit: sed ad littus vnde exierat, post multam fatigatio-  
nem appulsus est. Ille

*Reticitur Udal-  
ricus ad littus,  
vnde soluerat.*



Ille verò tamen si tempestatum iniuria, & imbribus desuper irruentibus, & procellis nauem deorsum implentibus, totus esset madidus, vixque spirare videretur, à cœpto desistere noluit, neque ad terram exiuit; sed, sedens in nauicula, tranquillitatem maris exspectabat. Interim aquam de nauis vasculo proiciens. Ventis itaque paululum sedatis, iterum nauigare cœperunt, iterumque simili modo impeditus est. Tertia quoque vice ire tentans, sed nihilo minus nocte ac tempestate ingruente, ponti sauitiam vix, & quasi per miraculum euasit. Tempestas verò intra septem dies non cessauit.

Intellexit ergò vir Dei Veranos Euangelicæ gratiæ indignos. currensque cum clericis discipulum, quasi de palæstra coronatum, de litore ducit ad tectum, super ipsius constantia, fideique magnitudine Dominum benedicens. At ubi cœnatum fuit, fratres de nauigatione Vdalrici iocari cœperunt: Et quis, inquiunt, si periisset homo, reus homicidij teneretur? Adalbertus autem interpres, cui maximè factum displicuerat, quis iustus, inquit, homicidium lueret, quàm is, qui hunc ad tale periculum direxit? Verùm Episcopus, quamuis ab eodem fratre de hoc verbo antè pulsatus fuerit, nihil motus, ad Euangelium se conuertit, & exemplo Domini Iesu discipulos, quasi oues inter lupos mittentis, factum suum defendit. Quis enim, ait, homicidij reus tenebatur, discipulis, qui à Domino mittebantur, interfectis? qui oues ad lupos misit, profectò à lupis oues deuorandas sciuit. Deuoratae sunt oues à lupis, interfecti sunt Apostoli à Tyrannis.

Dein parabolam hanc facto suo coaptans, plena rationis doctrina discipulos animauit, dignisque exhortationibus in gaudio spiritali maximam partem noctis expendit. Et manè facto, quidnam agerent, vel quò diuerterent, inter se tractabant. Verùm haud diu nutabundi, quod superfuit de opere in agro Domini, coloni fideles inter se distribuunt: aliis retro ad Timinam; aliis autem ad alia loca euangelizandi gratia diuertentibus.

*Nauem non exiit, exspectans maris tranquillitatem.*

*Iterum fortunam tentat. Quam cœteris.*

*Semper frustra.*

*In Vdalrici nauigationem socii quorundam.*

*Quid s. Orho?*

*Daminam.*

s 3

De